

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
AUTHENTICE INTERPRETANDO

COMMUNICATIONES

VOL. XX - N. 1

1988

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIONE CODICI IURIS
CANONICI AUTHENTICE INTERPRETANDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

N. 1

Semestrale

IUNIO 1988

Sped. Abb. Postale - Gruppo IV - 70%

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

| | |
|--|----|
| Constitutio Apostolica de Romana Curia <i>Pastor Bonus</i> | 3 |
| Litterae Apostolicae Motu proprio datae quibus Pontificia Commissione pro America Latina novo ordine disponitur <i>Decessores Nostri</i> | 62 |
| Litterae Apostolicae Motu proprio datae quibus ex integro ordinatur materia respiciens muneric Patronorum et Advocatorum exercitium apud Romanae Curiae Dicasteria necnon ipsius Sanctae Sedis causarum patrocinium <i>Iusti Iudicis</i> | 65 |

ALLOCUTIONES

| | |
|--|----|
| Allocutio Summi Pontificis ad Praelatos Auditores, Administros Advocatosque Rotae Romanae coram admissos | 69 |
|--|----|

ACTA COMMISSIONIS

| | |
|---------------------------------------|----|
| Responsa ad proposita dubia | 76 |
|---------------------------------------|----|

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO SACRAMENTIS

| | |
|--|----|
| Litterae Circulares « <i>De Processu super matrimonio rato et non consummato</i> » . | 78 |
|--|----|

CONGREGATIO PRO RELIGIOSIS ET INSTITUTIS SAECULARIBUS

| | |
|---|----|
| Epistula ad supremos Moderatores Institutorum religiosorum et Societatum vitae apostolicæ | 85 |
| Epistula ad supremos Moderatores Institutorum saecularium | 87 |

SUPREMUM SIGNATURÆ APOSTOLICÆ TRIBUNAL

| | |
|--------------------|----|
| Decretum | 88 |
|--------------------|----|

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

| | |
|---|-----|
| I. Coetus studiorum « <i>De Normis Generalibus</i> » (Sessio VI) | 95 |
| II. Coetus studiorum « <i>De Magisterio ecclesiastico</i> » (Sessio II) | 122 |
| Opera a Commissionis Bibliotheca recepta | 148 |

II

COETUS STUDIORUM
DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

Sessio II

(diebus 13 februarii ad 17 februarii 1968 habita)

Diebus 13 ad 17 februarii 1968, in aula Sedis Commissiones C.I.C. Recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra coetus studiorum ad recognoscendas normas C.I.C. « De Magisterio Ecclesiastico ».

Conventibus intererant quattuor clarissimi Consultores, necnon Ill.mus W. Onclin, Commissionis Secretarius Adiunctus, qui munere praesidis fungebatur, atque Rev.mus Nicolaus Pavoni, adiutor a studiis, qui actuarii munere fungebatur.

Quaestiones, quas in hoc studiorum coetu tractandas proposuit Commissionis Secretaria, sequentibus verbis enuntiatae sunt: « quaenam sint recognoscenda, scilicet addenda, suppressa aut mutanda in legislatione *De scholis* ».

De missionibus etiam in eadem sessione tractandum esset, et rogatus est Rev.mus quidam Consultor ut aliquod schema praepareret de missionibus seu de verbi Dei praedicatione sed cum respectu ad missiones externas. Cum Rev.mus predictus Consultor legitime fuerit impeditus, ideoque nec conventibus interfuerit, haec quaestio tractari non potuit.


Relationem de recognoscenda legislatione « de scholis » confecit Exc.mus Consultor atque votum exaraverunt quattuor Consultores. Praeterea aliquos conventus participati sunt Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis, et Exc.mus J. Schröffer, Secretarius S. Congregationis pro Seminariis, qui hic et Consultor Vocatur.

I

RELATIO SESSIONIS PRIORIS

Nonnullae animadversiones proponuntur de relatione praecedentis sessionis, et quaedam mutationes etiam in textu canonum anterioris sessionis proponuntur.

1) *Ad can. 1322.* Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut can. 1322, § 2 terminum habeat cum verbis « ... evangelicam doctrinam docendi »,



utque textus « Omnes homines... etc. » fiat § 1 canonis 1322 bis, cuius § 1 actualis fiat § 2.

Consentient omnes de hac mutatione introducenda.

Textus igitur can. 1322 et can. 1322 bis est sequens:

Canon 1322

§ 1. Christus Dominus fidei depositum Ecclesiae concredidit, ut ipsa, Spiritu Sancto iugiter assistente, doctrinam revelatam sancte custodiret et fideliter exponeret.

§ 2. Ecclesiae officium est et ius, independenter a qualibet humana potestate, omnes gentes evangelicam doctrinam docendi.

Canon 1322 bis

§ 1. Omnes homines, cum veritatem in iis quae sunt ad Deum Eiusque Ecclesiam respiciunt quaerere teneantur, veritatem evangelicam veramque Ecclesiam, quam cognoscant, lege divina amplecti ac servare obligantur (cfr. Conc. Vat. II, Declar. *Dignitatis humanae*, n. 1).

§ 2. Ad amplectendam fidem catholicam a nemine unquam homines contra propriam conscientiam coactione adduci possunt (cfr. Conc. Vat. II, Declar. *Dignitatis humanae*, nn. 2, 4).

2) *Ad can. 1324.* Ad mentem Rev.mi cuiusdam Consultoris, mentio etiam fieri debet de litteris doctrinalibus, quas edunt Episcoporum Conferentiae.

Aestimat Rev.mus Secretarius Ad. talem mentionem non requiri, quia quaestio est de Episcoporum Conferentiis in can. 1326; censem tamen etiam in can. 1324 hanc mentionem addi posse: « ... ferunt proprius *Episcopus, Episcopi regionis aut Provinciae ecclesiasticae in Conciliis particularibus aut Episcoporum Conferentiis*, speciali vero ratione quae edit Apostolica Sedes ». Probatur textus propositus ab omnibus.

Textus igitur canonis 1324 est sequens:

Canon 1324

Cum eis quae ab Ecclesia tanquam de fide divina et catholica credendis fidei obsequio adhaerendum sit, tenentur omnes quascumque devitare doctrinas iisdem contrarias, immo et eas quae cum doctrina catholica non congruunt. Quare omnes debent etiam constitutiones et decreta servare quae ad proscribendas prohibendasque erroneas opi-

niones ferunt proprius Episcopus, Episcopi regionis et provinciae ecclesiasticae in Conciliis particularibus aut Episcoporum Conferentiis, speciali vero ratione quae edit Apostolica Sedes.

3) *Ad can. 1329.* Est quidam Rev.mus Consultor qui rogat ut in notis referatur etiam ad Decretum Conc. Vat. II *Inter mirifica*, n. 13. Quod omnibus placet.

4) *Ad can. 1335.* Claritatis causa, proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut supprimatur comma post verbum « ne denegent », quia etiam revocatio possibilis est gravi de causa. Aliqui tamen aestimant deleri posse verba « sine gravi causa », sed de sententia aliorum remanere debent.

Textus itaque huius canonis est:

Canon 1335

Ordinarii locorum religiosis, qui a proprio Superiore proponuntur, sine gravi causa facultatem praedicandi ne denegent concessamque semel facultatem ne revocent.

5) *Ad can. 1338 § 2.* Censet Rev.mus Consultor dicendum esse « nisi in casibus a Conferentia Episcoporum definitis ».

Praeterea, est Rev.mus Consultor cui non placet verbum « vetantur », quod nimis durum videtur.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat clare statuendum esse quod laici per se non possunt praedicare in ecclesia.

Etiam Rev.mus alter Consultor illud affirmat, sed declarat aliquid dicendum esse de certa parte, quam habere possunt laici in casu necessitatis, in quibus nempe implere possunt munus lectoris etc.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit hanc formulam novam: « Ad praedicandum in ecclesia ne admittantur laici, nisi in casibus necessitatis aut verae utilitatis, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta ».

Aestimat vero Rev.mus Consultor verbum « verae » non requiri, et haud facile determinari posse casum utilitatis.

Rev.mus Secretarius Ad. hanc aliam proponit formam canonis: « Nisi certis in adjunctis necessitas id requirat, aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta ».

Placet omnibus.

Can. 1338 § 2 itaque ita sonat:

Canon 1338 § 2

Ad praedicandum in ecclesia ne admittantur laici, nisi certis in adiunctis necessitas id requirat, aut in casibus particularibus utilitas id suadeat, iuxta Episcoporum Conferentiae praescripta.

6) *Quaestio de praedicatione via radiophonica aut televisifica.*

Quaestio ponitur de facultate requisita ut quis praedicare possit via radiophonica vel televisifica. Consentunt Consultores ut aliqua norma tradatur, sed, de omnium sententia, haec norma poni debet in can. 1333, tanquam § 3. Formam huius paragraphi proponit Rev.mus Secretarius Ad. sequentem: « Facultatem praedicandi via radiophonica vel televisifica concedere potest peculiaris Episcoporum regionis coetus aut Episcoporum delegatus, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae regionis aut districtus regionalis ».

Animadvertisit Rev.mus Consultor talem facultatem etiam requiri ut habeantur conferentiae theologiae.

Aliam formulam proponunt Rev.mus Secretarius Ad. cum socio: « Ut praedicare possint via radiophonica aut televisifica, requiritur ut clerici, sive saeculares sive religiosi, facultatem praedicandi a proprio loci Ordinario obtinuerint utque praeterea servent praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis aut districtus regionalis statuta ».

Placet omnibus haec formula, sed deleantur verba « aut districtus regionalis ».

Itaque canon 1333 § 3 ita sonat:

Canon 1333 § 3

Ut praedicare possint via radiophonica aut televisifica, requiritur ut clerici, sive saeculares sive religiosi, facultatem praedicandi a proprio loci Ordinario obtinuerint, utque praeterea servent praescripta ab Episcoporum Conferentia regionis statuta.

7) *Ad can. 1349.* Rev.mus Consultor censet mentionem de patrinis non requiri.

Respondet autem Rev.mus Secretarius Ad., quocum alii concordant, veram missionem patrini ita affirmari.

8) *Ad can. 1350.* Rogat Rev.mus idem Consultor ut deleantur verba « singulis annis », quia non necessario singulis annis administratur sacramentum confirmationis.

Consentunt alii.

Textus ergo can. 1350, 1º est sequens:

Canon 1350

Attentis normis ab Episcoporum Conferentia statutis, Episcopi dioecesani est de catechetica institutione tradenda:

1º normas statuere ut pueri ad sacramenta poenitentiae ed confirmationis suscipienda utque ad SS. Eucharistiam primo recipiendam rite praeparentur.

II DE SCHOLIS

1. SUGGESTIONES TRANSMISSAE HUIC COMMISSIONI

Ad petitionem Em.mi Cardinalis Praesidis huius Commissionis, aliiae suggestiones circa hanc quaestionem transmissae sunt, quae quidem paratae sunt a S. Congregatione pro institutione catholica insimul cum « Office international de l'enseignement catholique ». Quaedam vota etiam Commissioni communicata sunt litteris Em.mi Cardinalis eiusdem Congregationis Praefecti.

Rev.mus Secretarius Ad. legit praecipuas suggestiones in priore documento factas.

1) *De iure laicorum*, qui debitam habeant peritiam tradendi institutionem religiosam in scholis, notatur fundamentum huius iuris esse: « Ce droit se déduit:

- a) de la mission du baptisé;
- b) de la reconnaissance officielle donnée à la mission particulière de certains instituts religieux;
- c) de la promotion du laïcat » (p. 5 documenti).

Rev.mus Consultor aestimat necessariam esse « missionem canonicanam » ad docendam doctrinam catholicam, etiam pro laicis.

Sed, notat Rev.mus Secretarius Ad., hanc missionem posse implicitam esse, et revera, in multis regionibus implicite dari omnibus qui in scholis elementaribus religionem docent.

2) *De scholis Ecclesiae propriis*: quaestio est quaenam sint tales scholae, et quodnam sit fundamentum iuris Ecclesiae habendi scholas (de hac quaestione agitur in documento, p. 8).

a) Deduci debet ius Ecclesiae ad educationem ex eo quod Ecclesia, uti societas constituta, missionem implere debet sibi concreditam.

b) De scholis Ecclesiae propriis, variae esse possunt notiones:

4.3 Les écoles *propres* de l'Eglise.

Quelle forme d'école entend-on par là?

- Une école soumise en tout à la hiérarchie ecclésiastique?
- Une école soumise à cette hiérarchie, seulement pour ce qui est de sa compétence propre? Comment tracer les limites de cette compétence?
- Une école fondée et administrée d'un commun accord avec l'Etat?
- Une école officielle complètement catholique en fait (certains pays d'Amérique latine et certains Länder de la République Fédérale d'Allemagne)?

4.4 En plus, il faudrait ici soulever une question de principe sur l'*identité* de l'école catholique:

- Une école est-elle catholique par son caractère juridique (fondateur, responsable, administrateur, etc.)?
- Ou une école est-elle catholique plutôt par l'esprit qui l'anime?

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat in Codice statuendum esse principium generale quod essentiam scholae catholicae constituit, non autem tractandum esse de diversis formis scholarum.

Secundum Rev.mum quendam Consultorem nota specifica scholae catholicae consistit in admissione vigilantiae ecclesiasticae in ipsa schola.

Rev.mus alter Consultor notat in Italia Episcopos et parochos ius invigilandi habere in scholis circa catecheticam institutionem et tamen scholas non esse catholicas sed statales.

3) *Maior competentia tribuenda Episcoporum Conferentiis.* De hac quaestione tractat documentum in p. 12. Adiuncta omnino diversa sunt in variis regionibus seu nationibus. Conferentiae Episcoporum latiorem competentiam habere debent, et cooperari debent cum parentibus, et cum scholarum magistris.

Notat adhuc Rev.mus idem Consultor in America latina exsistere scholas radiophonicas, quae non possunt pendere a competentia Conferentiarum regionalium, quia momentum habent etiam pro aliis regionibus.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut a S. Congregatione pro institutione catholica litterae rogentur, in quibus clare vota quae habet tradantur.

Quod omnibus placet.

2. LITTERAE EM.MI CARD. PRAEFECTI CONGREGATIONIS PRO INSTITUTIONE CATHOLICA ET SUGGESTIONES FACTAE

Eas litteras legit Rev.mus Secretarius Ad., et de diversis suggesti-
nibus factis disseritur inter Consultores.

1) Primo proponitur ut *legislatio de scholis penitus retractetur*, quia canones Codicis minime uti basis accipi possunt. De hoc omnes con-
sentient.

2) *Legislatio de scholis* in genere duas partes complecti deberet,
quae ita describuntur:

« Il primo punto dovrebbe seguire la linea del Concilio, stabilendo:
a) il diritto del battezzato all'educazione religiosa (e morale); *b*) i do-
veri dei diversi responsabili (ed in primo luogo dei genitori); *c*) le con-
dizioni fondamentali di una tale educazione. Il secondo punto dovrebbe
trattare: *a*) dei quadri educativi essenziali: 1. la famiglia; 2. la scuola
(caso della scuola propriamente cattolica, sua definizione, sue leggi, il
diritto della Chiesa a fondare delle scuole; caso della scuola non pro-
priamente cattolica: a quali condizioni essa è legittima per dei catto-
lici); 3. l'insegnamento religioso che in esse bisogna impartirvi. *b*) Gli
altri strumenti educativi ».

3) Tandem *de Universitatibus* proponitur ut clare distinctio fiat
inter: 1. Universitates vel Facultates studiorum ecclesiasticorum; 2.
Universitates catholicas. De utraque specie legislatio condi debet.

3. SUGGESTIONES FACTAE AB EXC.MO QUODAM CONSULTORE

Suggestiones sunt sequentes, quas legit Rev.mus Secretarius Ad.:

1. Ius esto omnibus hominibus ad convenientem educationem uti
postulat conditio personae humanae (GEM, idest *Gravissimum educa-
tionis momentum*, 1);

2. Determinare quibus competit ius et officium educandi
(GEM, 3);

3. Definire verum educationis conceptum et in quo educatio christiana consistat (GEM, 1-2);
4. Inalienabile Ecclesiae ius proclaimare ad educationem ut adimplat a Christo acceptam missionem (GEM, 3);
5. Statuere ius Ecclesiae ad condendas qualescumque scholas (GEM, 8);
6. Stabilire conditiones quae requirantur ad hoc ut schola singularis obtineat titulum scholae catholicae (GEM, 8-9);
7. Commendetur oportet momentum speciale, nostris praesertim temporibus, scholarum quae dicuntur profesionales, technicae, etc. (GEM, 9);
8. Declarare ius parentum quominus Status sufficienter provideat exigentiae iustitiae distributivae postulantis ut in tuto ponantur institutio religiosa filiorum in scholis (GEM, 6 et *Dignitatis humanae*, 5);
9. Vindicatio iuris educandorum ad institutionem religiosam in fide propriae confessionis, ubi schola statalis complectatur alumnos diversae confessionis religiosae (GEM, 7);
10. Sit facultas acatholicis adeundi scholas catholicas, praesertim « territoriis novarum ecclesiarum » (GEM, 9);
11. Extolli debet vocatio apostolica illorum christifidelium qui incumbunt educationi in scholis (GEM, 5);
12. Excitentur magistri ut peculiari sollicitudine praeparentur quominus scientiam tum religiosam tum profanam, idoneis titulis comprobata, possint impertiri (GEM, 8);
13. Inducantur oportet fideles propriam operam praestare ad condendas, sustinendas, fovendas et promovendas scholas catholicas (GEM, 6);
14. Statuantur conditiones speciales ad erigendas Universitates catholicas (cfr. GEM, 10) et facultates Scientiarum sacrarum (GEM, 11);
15. Opus est ut opportuna norma constet cuinam competat invigilare super scholis;
16. Bonum foret ut normae stabiliantur circa relationem inter Religiosorum scholas et artem pastoralem educationis, sub Pastoris ductu, in ambitu dioecesos;

17. Tandem statuatur necessitas coordinationis inter diversas scholas (GEM, 12).

Animadversiones quaedam de his suggestionibus proponuntur:

Ad 8) notat Rev.mus Secretarius Ad. eam suggestionem non pertinere ad legislationem canonicam, sed esse indolis tantum doctrinalis;

Ad 9) rogat Rev.mus Consultor utrum id valeat pro scholis statalibus, an pro eis C.I.C. legem ferre possit.

Rev.mus Secretarius Ad. respondet enuntiari tantum posse officium parentum curandi ut filii educationem religiosam habeant sive in scholis sive extra illas, secundum praescripta Episcoporum Conferentiae.

Ad 11) notat Rev.mus Secretarius Ad. suggestionem hanc esse indolis doctrinalis, sed per transennam forsitan affirmari posse.

Ad 13) rogat Rev.mus Consultor utrum regula valeat etiam de Universitatibus catholicis, et affirmat quod in Germania aestimatur melius esse ut catholici doceant in aliis Universitatibus.

Animadvertisit Rev.mus Secretarius A. affirmandum esse tantum ius habendi Universitates, non vero necessario obligationem: Conferentiae Episcoporum de opportunitate iudicare debent.

4. RUBRICA HUIUS TITULI

De omnium sententia, titulus inscribi non debet « de scholis », sed posset inscribi « de educatione christiana ».

Animadvertisit Rev.mus Consultor etiam baptizatos non catholicos habere scholas et ideo proponit ut titulus inscribatur: « De institutione catholica »; secus enim christiani non-catholici aestimare possunt se iisdem normis ligari.

Respondet autem Rev.mus Secretarius Ad. minus convenire ut dicitur « institutio catholica » et institutionem esse christianam.

Omnis consentiunt titulum inscribendum esse « *De educatione christiana* ».

5. CANONES PRIORES HUIUS TITULI

A Rev.mo Secretario Ad. proponitur textus canonum 1 et 2. In can. 1 affirmatur *ius christifidelium ad educationem christianam*; in can. 2 agitur *de obligatione et de iure parentum*. Textus horum canonum qui proponitur est sequens.

Canon 1

Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inviolabile ad educationem proprio fini respondentem, christifideles, quippe qui per regenerationem ex aqua et Spiritu Sancto nova creatura effecti sint, ius habent ad educationem christianam, qua ad maturitatem humanae personae prosequendam adducantur, atque simul in mysterio salutis cognoscendo et vivendo instruantur.

vel

Cum omnibus hominibus, ratione dignitatis personae, ius sit inalienabile ad educationem proprio fini respondentem, christifideles, quippe qui baptismate ad vitam doctrinae evangelicae congruentem ducendam destinentur, ius habent ad educationem christianam, qua ad maturitatem humanae personae prosequendam atque simul ad mysterium salutis cognoscendum et vivendum rite instruantur.

Canon 2

§ 1. Parentes, cum vitam filiis contulerint, prolem educandi gravissima obligatione tenentur atque iure gaudent, et ideo primi et praecipui eorum educatores sunt agnoscendi; quare parentum christianorum etiam est educationem christianam filiorum curare.

§ 2. Parentum christianorum imprimis officium est propitium familiae ambitum, amore nempe, pietate erga Deum et homines animatum curare, qui integre filiorum educationi personali ac sociali faveat.

§ 3. Parentibus christianis officium quoque et ius est partes in hoc suo munere educationis exercendo iis concredere, quorum opera formationi filiorum plane christianae providere valeant.

§ 4. Parentibus omnibus cum ius competit fruendi subsidiis necessariis ut educationi filiorum provideant proprio officio consentaneae, parentibus christianis etiam ius est iisdem gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eorum formatio christiana harmonico gressu cum profana progrediatur.

Ad canonem 1

Est Exc.mus Consultor qui affirmat se preferre alteram formam, secundo scilicet loco propositam. Cum eo alii omnes consentiunt. Qui ergo textus, in secunda forma propositus, probatur.

Attamen idem Exc.mus Consultor proponit ut loco verborum « omnibus hominibus » ponantur verba « omnibus christifidelibus », quia Codex destinatur christianis, non aliis.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. praescriptum canonis respicere christianos, sed argumentum desumptum esse ex eo quod omnibus hominibus hoc ius competit.

Disseritur de verbo « instruantur », et Exc.mus Consultor qui supra proponit ut loco huius verbi adhibeat « adducantur ».

Notat autem Rev.mus Secretarius Ad. verbum « instruantur » significare « habiles reddantur » et latinitatis causa hoc verbum servandum esse.

Remanet ergo can. 1 et probatur.

Ad canonem 2

§ 1. Placet omnibus textus huius paragraphi.

Attamen Rev.mi Consultores preferunt ut sermo fiat de iure familiae.

Animadvertisit autem Rev.mus Secretarius Ad. familiam non esse quam talem « personam moralem » et ideo melius sermonem fieri de iuribus parentum.

Probatur ergo textus § 1.

§ 2. Notat Exc.mus Consultor verba « amore » et « pietate erga Deum », idem dicere, et proponit ut dicatur: « amore erga Deum et homines ». Insuper proponit ut dicatur « qui integrae filiorum formationi personali ac sociali faveat ».

Consentient alii.

Itaque textus § 2 erit: « Parentum christianorum imprimis officium est propitium familiae ambitum, amore nempe erga Deum et homines animatum, curare, qui integrae filiorum formationi personali ac sociali faveat ».

§ 3. Animadvertisit Exc.mus Consultor qui supra deleri posse verba « christiana » et « plane ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit insuper formulam « eos participes facere ».

Omnes consentient.

Itaque textus § 3 erit: « Parentibus christianis officium quoque et ius est, in exercendo hoc suo munere educationis eos participes facere, quorum opera formationi filiorum providere valeant ».

§ 4. Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut non dicatur « proprio officio consentaneae », sed « propriae conscientiae consentaneae », quod omnino congruit cum Declaratione « Dignitatis humanae » Concilii Vat. II.

Est Exc.mus Consultor qui aestimat non catholicos habere quidem facultatem filios educandi secundum propriam conscientiam, etsi erroream, non vero ius.

Respondet autem Rev.mus Secretarius Ad. verum ius iisdem tribui in declaratione de libertate religiosa.

Etiam Exc.mus alter Consultor qui affirmat verum agnoscendum esse ius propriam sequendi conscientiam.

Suffragatione facta, omnes conveniunt dicendum esse « propriae conscientiae consentaneae », uno excepto Exc.mo, qui huic textui est contrarius, atque altero Ill.mo Consultore, qui anceps remanet.

Textus itaque § 4 est: « Parentibus omnibus cum ius competit fruendi subsidiis necessariis ut educationi filiorum provideant propriae conscientiae consentaneae, parentibus christianis etiam ius est iis gaudendi auxiliis, quibus filios ita educare valeant ut eorum formatio christiana armonico gressu cum profana progrediatur ».

6. DE OFFICIO ET IURE ECCLESIAE IN EDUCATIONE

Canon 3 et 4 agunt de officio et de iure Ecclesiae ad educationem religiosam et ad educationem profanam.

Canon 3

§ 1. Singulari ratione officium et ius educationis spectat ad Ecclesiam, quippe cui missio divinitus concredita sit viam salutis omnibus hominibus annuntiandi, credentibus vitam Christi communicandi eosque iugiter materna sollicitudine adiuvandi ut ad huius vitae plenitudinem pervenire valeant.

§ 2. Animarum pastoribus gravissimum est officium omnia disponendi ut educatione christiana omnes fideles preeprimis iuvenes fruantur.

(Cfr. Conc. Vat. II, Declaratio *Gravissimum educationis*, n. 3).

Animadversionem proponit Rev.mus Consultor, aestimans in textu § 1 mentionem esse faciendam tantum missionis Ecclesiae.

Secundum praefatum Consultorem, Ecclesia est quidem societas, sed

cuius finis est religiosus tantum, et ideo non potest scholas condere nisi eas quae habent rationem medii ad illum finem.

Respondet Exc.mus Consultor quod Ecclesia potest scholas condere quoque ad auxilium praestandum parentibus in opere formationis filiorum, sicut potest etiam opera caritativa constituere.

Consentit Rev.mus Consultor qui difficultatem protulit.

Canon 3, § 1 et § 2 placet omnibus et probatur.

Canon 4 agit de iure Ecclesiae ad educationem in rebus terrenis, seu de iure ad educationem profanam quam dicunt.

Proponitur a Rev.mo Secretario Ad. textus sequens:

« Ecclesia filiis suis eam praestare tenetur educationem qua tota eorum vita spiritu christiano imbuatur, atque, societas educationis tradendae capax cum sit, omnibus hominibus suam operam praebere debet ad promovendam integrum personae humanae perfectionem, ad bonum quoque societatis terrestris, penetrando et elevando omnia quae ad commune hominum patrimonium pertinent quaeque ad animos excolendos hominesque formandos conferunt ».

Em.mus Cardinalis Praeses notat textum esse longiorem et esse quasi homiliam.

Ideo proponit Rev.mus quidam Consultor ut duae priores lineae supprimantur et initium fiat a verbis « Ecclesia, cum sit societas... ».

Est Exc.mus Consultor cui non placet verbum « tenetur », quia agitur de auxilio omnibus hominibus praebendo, non tantum christianis.

Attamen Em.mus Praeses et alter Exc.mus Consultor a estimant servandum esse verbum « tenetur » vel « debet », quia Ecclesia obligationem et ius habet omnibus hominibus operam suam praestandi, quatenus ipsa cum opere salutis connexionem habeat.

Em.mus Praeses animadvertisit dici debere quod Ecclesia ius etiam habet dandi educationem profanam, et duos conceptus enuntiari debere, scilicet: quod Ecclesia capax est huius educationis, et insuper quod obligationem habet et ius.

Rev.mus Secretarius Ad. alium proponit textum:

Canon 4

§ 1. Sicut quicumque hominum coetus ad educationem excolandam habilis, Ecclesia utpote societas educationis tradendae capax, hominibus potest operam suam adiutricem praebere ad iuvenum formationem in iis quae vitam respiciunt terrenam, quae quidem ad patrimonium hominum commune pertinent.

§ 2. Quantum adiuncta id sinant, etiam debet Ecclesia operam suam praestare ut iuvenes debite edacentur in disciplinis terrenis, quippe quae cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint.

1) Rev.mus Consultor proponit ut loco vocabuli « iuvenes » adhibetur vocabulum « homines ».

Exc.mus alter Consultor praefert vocabulum « competit » loco vocabuli « potest »; notat etiam vocabulum « hominum » saepe saepius repeti. In secunda paragrapho proponit ut dicatur « homines » loco « iuvenes ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit primam paragraphum cum aliis mutationibus:

Canon 4 § 1. Sicut cuicunque hominum coetui ad educationem excolendam habili, Ecclesiae, utpote societati educationis tradendae capaci, competit operam suam adiutricem praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quoque quae vitam respiciunt terrenam, quae quidem ad patrimonium hominum commune pertinent.

Placet omnibus haec prima paragraphus.

2) Exc.mus Consultor proponit ut in secunda paragrapho dicatur « postulent » loco vocabuli « sinant ».

Concordant omnes, uno excepto, qui praefert vocabulum « requirant ».

Omnes preferunt vocabulum « requirant » loco « sinant » et vocabulum « formentur » loco « edacentur ».

Quare textus canonis 4 probatur sequens:

Canon 4

§ 1. Sicut cuicunque hominum coetui ad educationem excolendam habili, ita Ecclesiae, utpote societati educationis tradendae capaci, competit operam suam adiutricem praebere ad iuvenum praesertim formationem in iis quoque quae vitam respiciunt terrenam, quae quidem ad patrimonium hominum commune pertinent.

§ 2. Quantum adiuncta id requirant, etiam debet Ecclesia operam suam praestare ut homines debite formentur in disciplinis terrenis, quippe quae cum vocatione hominis supernaturali intime connexae sint.

7. DE OBIECTO EDUCATIONIS

Legit imprimis Rev.mus Secretarim Ad. textum ab Exc.mo quodam consultore hac de materia propositum: « Can. XXXX, § 1. Cum omnis vera educatio prosequi debeat formationem integralem humanae personae in ordine ad eius finem ultimum et simul ad bonum societatum quarum homo membrum exstat et in quarum officiis adultus effectus partem habebit, pueri et adulescentes utriusque sexus rite excolantur ad suas dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvendas, ne exclusa quidem, quamquam prudenter impertienda, sexuali educatione, ut perfectiorem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum adquirant atque ad vitam quoque socialem et ecclesialem libere, honeste, actuose et utiliter agendam idonei prorsus evadant.

§ 2. Cum omnibus hominibus, sed praesertim pueris et adulescentibus utriusque sexus, ius naturale sit ut in valoribus moralibus recta conscientia aestimandis et adhaesione personali amplectendis necnon in Deo perfectius cognoscendo et diligendo instituantur, omnes qui vel popularum regimen tenent, vel educationi praesunt, curent ne unquam iuventus hoc sacro iure privetur.

Aestimat vero Rev.mus Secretarius Ad. ad particularia nimis descendere hunc textum, et in specie hic sermonen non esse faciendum de educatione sexuali.

Alii cum eo consentiunt.

Proponit ergo Rev.mus Secretarius Ad. aliam formam:

Canon 5

§ 1. Cum omnis vera educatio integrum prosequi debeat personae humanae formationem, in ordine ad finem eius ultimum et simul ad bonum commune societatum, quarum homo membrum exstat et in quarum actione partem habet, pueri et adulescentes ita excolantur oportet ut suas dotes physicas, morales et intellectuales harmonice evolvere valent, perfectiorem responsabilitatis sensum libertatisque rectum usum adquirant et ad vitam socialem active participandam conformatur.

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis, in qua iuvenes efformantur atque ambitus socialis in quo vivunt, nedum eorumdem educationi christianaee obstent, eidem quam maxime faveant.

Notat Exc.mus quidam Consultor terminologiam esse bene definendam: ita semper in eodem sensu adhibenda sunt verba « pueri et adolescentes ».

Proponitur ut in fine § 2 addantur verba « utque omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint ».

Additio ab omnibus probatur et textus canonis 5 ita mutatus probatur.

Quare textus canonis 5 ita sonat:

§ 1. uti supra notatur.

§ 2. Curent igitur parentes, animarum pastores atque omnes qui in educatione partem habent, ut ipsa ratio vivendi communitatis in qua juvenes efformantur atque ambitus socialis in qua vivunt, nedum eorumdem educationi christianaee obstent, eidem quam maxime faveant, utque omnia adhibeantur media quae ad eandem educationem conferre possint.

8. DE MEDIIS AD EDUCATIONEM, PRAESERTIM DE SCHOLIS

1) *Canon 6* proponitur a Rev.mo Secretario Ad. sequens:

« Inter media ad excolendam educationem, christifideles magni faciant scholas, quae quidem parentibus, in munere educationis exercendo, praecipuo auxilio sunt ».

Ita enuntiatur principium de momento scholae inter omnia media ad educationem adhibenda.

Omnibus placet textus, qui ergo probatur.

Canon 7 proponitur a Rev.mo Secretario Ad. sequens:

« Parentibus, quippe quibus primum et inalienabile officium et ius sit filios educandi, in scholis eligendis vera libertate gaudeant oportet; quare christifideles solliciti esse debent ut a societate civili haec libertas parentibus agnoscatur ».

De hoc principio fundamentali circa libertatem parentum omnes consentiunt. Probatur textus, uti est.

3) *Officium parentum in scholis eligendis.*

Quaestio hic ponitur *de schola catholica*, et de eius definitione.

Exc.mus Consultor censet scholam catholicam definiri per directionem scholae: sunt catholicae, scholae quas Ecclesia condit et regit secundum

principia sua fundamentalia de educatione, et in quibus adsit ambitus spiritu evangelico imbutus.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat illas dici debere catholicas in quibus de facto educatio traditur tali spiritu imbuta, et quae uti tales saltem implicite ab auctoritate ecclesiastica agnoscantur. Proponit autem ut in Codice non tradatur definitio scholae catholicae, et ut normae tantummodo tradantur pro parentibus in scholis eligendis.

Canon 8 igitur proponit Rev.mus Secretarius Ad. textum sequentem:

§ 1. Parentes obligatione tenentur ut, quantum possint, filios illis scholis educandos concredant, in quibus iuvenum formatio spiritu christiano penitus sit imbuta, aut, his deficientibus, iis saltem in quibus educatio christiana pueris, ratione eorum aetati et conditionibus propria, tradatur.

§ 2. Si certis in adiunctis, de iudicio loci Ordinarii, parentes filios educandos concredere tantum possint scholis in quibus formationi eorum christiana non providetur, curare debent ut pericula tali educationi inherentia avertantur utque extra scholas debite filiorum educationi christiana prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica latae.

§ 1. Rev.mus Consultor aestimat in § 1 verba « spiritu christiano imbuta » non sufficere, quia valere etiam possunt de scholis a protestantibus conditis.

Censet tamen Rev.mus Secretarius Ad. verba servari posse, quia ab omnibus intelligi possunt, sed admittit addi posse « spiritu christiano, uti ab Ecclesiae magisterio definitur, penitus sit imbuta ».

Duo Rev.mi Consultores preeferunt verbum « institutio », loco « educatio »; item aestimant loco « pueris » dici debere « iuvenibus ».

Canon 8, § 1 itaque erit:

« Parentes obligatione tenentur ut, quantum possint, filios illis scholis educandos concredant, in quibus iuvenum formatio spiritu christiano, uti ab Ecclesiae magisterio definitur, penitus sit imbuta, aut, iis deficientibus, iis saltem in quibus institutio christiana iuvenibus, ratione eorum aetati et conditionibus propria, tradatur ».

Placet textus et probatur.

§ 2. Notat Rev.mus Secretarius Ad. forsan melius dici « parentibus filios educandos concredere licet »; quod omnes admittunt.

Quidam Rev.mus Consultor censet praferendam esse locutionem:
« ipsi obligatione tenentur curandi ut... »; etiam omnes consentiunt.

Idem Consultor quaerit quid intelligendum sit per verba: « iuxta normas ab auctoritate ecclesiasticas latas », utrum sint normae iam traditae an normae tradendas.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. textum esse generalem et intendere normas iam traditas et etiam tradendas.

Canon 8 § 2 itaque erit sequens:

« Si certis in adjunctis, de iudicio loci Ordinarii, parentibus licet filios educandos concredere scholis in quibus formationi eorum christianae non providetur, ipsi obligatione tenentur curandi ut pericula tali educationi inhaerentia avertantur utque extra scholas debite filiorum educationi christiana prospiciatur, iuxta normas ab auctoritate ecclesiastica latas ».

4) *Officium parentum curandi ut scholae habeantur christiana.*

Textus canonis 9 proponitur a Rev.mo Secretario Ad. sequens:

Canon 9

« Christifideles omnes omni ope eniti tenentur ut in societate civili leges quae iuvenum formationem ordinant, educationi eorum religiosae et morali, iuxta parentum conscientiam, in ipsis scholis prospiciant ».

Censem plerique consultores supprimi posse verbum « omnes ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut post verbum « morali », ad-datur verbum « quoque », ut perfectior sit textus.

Consentient omnes.

Textus itaque canonis 9 erit:

Canon 9

« Christifideles omni ope eniti tenentur ut in societate civili leges quae iuvenum formationem ordinant, educationi eorum religiosae et morali quoque, iuxta parentum conscientiam, in ipsis scholis prospiciant ».

9. QUAESTIO AN ALIA DE PARENTIBUS DICENDA SINT IN CODICE

Rev.mus Secretarius Ad. hanc ponit quaestionem et aestimat quod forsitan quaedam dici possunt de necessariis relationibus quas parentes habere debent cum magistris, ut active cum iisdem cooperentur etiam in educatione religiosa tradenda.

Exc.mus Consultor censet talem normam forsitan introduci posse verbis « memores sint parentes... ».

Attamen, Rev.mus Secretarius Ad. aestimat talem normam proprie non pertinere ad Codicem, quia non est lex, quae obligationem statuit. Censet forsitan dici posse: « Ut parentes officio suo filios educandi satisfaciant... ».

Postea de hac quaestione iterum tractabitur, et, si utile videatur, textus componetur.

10. SCHEMA DICENDORUM DE SCHOLIS IN GENERE

Est Rev.mus Consultor qui censet tandem, deficiente tempore ut in hac sessione omnes aliae quaestiones de educatione christiana tractentur, elenchem esse faciendum materiarum quae adhuc tractari debent.

Omnes consentiunt.

Inde schema definitur dicendorum, quae nempe postea in normis sunt statuenda.

1) *Canon 1375 Codicis.* Rev.mus Consultor quaerit utrum norma huius canonis servari possit uti est pro scholis superioribus. Arguit in Germania scholas distingui elementares, medias, deinde superiores (« höhere ») et Universitates (Hochschule).

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut dicatur « superiores, Universitates etiam et facultates, condendi ».

Omnes consentiunt.

2) *Canon 1379: obligatio procurandi scholas.* Censet Rev.mus Consultor, si in aliqua schola formatio christiana deest, ipsam scholam non posse vocari catholicam.

Rev.mus Consultor proponit ut dicatur « debet » Ordinarius loci condere scholas, non autem « curandum est » ut condantur.

Rev.mus alter Consultor praefert, ut in Codice, « curandum, praesertim a locorum Ordinariis, ut condantur ». Nam censet quod possunt etiam laici tales scholas condere: in Codice dicitur « curandum est » et

hoc valet pro omnibus, deinde adiungitur « praesertim a locorum Ordinariis » et hoc valet pro Episcopis.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: « si desint quae, sive a societate civili sive ab inceptis christianorum, religiosorum aut laicorum, scholae in quibus educatio tradatur christiana, Episcoporum praesertim est... ».

3) Rev.mus Secretarius Ad. quaestionem ponit de scholis technicis seu professionalibus, de quibus in Conc. Vat. II (Decl. *Gravissimum educationis*, n. 9) « ... magni quoque facienda sunt illae quae ab hodieris condicionibus peculari ratione requiruntur, ut sunt scholae quae profesionales et technicae nuncupantur ».

Rev.mus Consultor aestimat dicendum esse aliquid de praesentia Ecclesiae in his scholis sed praefert ut dicatur: « optandum est Ecclesiam etc... » potiusquam « Ecclesiae officium est scholas profesionales... condere ».

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur « ubi id de iudicio Conferentiae Episcoporum expeditat, Ordinariorum locorum est, attentis normis ab eadem Conferentia statutis... »; quod placet.

Rev.mus Consultor suggerit ut aliquid dicatur etiam de scholis in quibus laici notiones de instrumentis communicationis socialis acquirere possunt: catholici debent educari ad eorum usum.

4) *Scholarum qualitas*. Rev.mus Secretarius Ad. aestimat dicendum esse: Ordinarii curare debent ut scholae christiana, sive a privatis sive ab Hierarchia conditae sint, eundem habeant valorem ac statales.

5) *Cura scholarum quae non sunt christiana*e. Ordinarii debent earum curam habere, et praesertim curare debent ut ibi habeantur magistri pro religiosa institutione, qui sint zelo, doctrina et arte paedagogica praestantes.

6) *Generalis ordinatio penes Episcopos*. Ordinatio generalis scholarum est ius Episcoporum, etiam respectu scholarum quae sunt religiosorum (ita in Decr. *Christus Dominus*; cfr. etiam De instrumentis communicationis, n. 20). Dici autem etiam debet moderamen internum illarum scholarum pertinere ad religiosos.

Iterum quaestio est de scholis catholicis.

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut haec dicantur: sunt scholae quae christiano sensu imbutae sunt et uti tales ab Hierarchia Ecclesiae erectae aut, saltem implicite, approbatae sunt. Hoc in quodam canone dici debere censet.

Approbat Rev.mus quidam Consultor.

Ad mentem Rev.mi alterius consultoris non sufficit approbatio, quia sunt scholae non catholicae quas Episcopi etiam pro catholicis approbant.

7) *Canon 1381 Codicis servari potest: agitur de libris religionis tantum; secundum Rev.mum Consultorum approbatio fieri potest sive ab Ordinariis locorum sive ab Episcoporum Conferentia.*

Consentient omnes.

8) *Normae ab Ordinariis statui debent, attentis praescriptis Conferentiae Episcoporum, pro parentibus qui concredunt filios scholis aca-tholicis, certis in adjunctis.*

9) *De aliis mediis educationis quaedam dici debent: ius eadem habendi, moderandi etc.*

Animadversiones de iis quae praecedunt dicendis.

Ad 4. Dubitat Em.mus Card. Praeses utrum norma talis poni debeat in Codice: quae dicuntur, non debent dici facta comparatione cum aliis scholis.

Admittitur punctum 4.

Ad 6. Rogat Em.mus Card. Praeses quid sit ordinatio generalis.

Rev.mus Secretarius Ad. exempla quaedam dat: ut sic dicta conten-tio seu rivalitas vitetur inter scholas religiosorum et alias; insuper ut si-miles normae adsint de admissione alumnorum.

Ad 7. Rev.mus Consultor censet agi tantum posse de iure vigilandi in institutionem religiosam.

Exc.mus alter Consultor notat in Germania esse scholas statales ca-tholicas et protestantes; in illis scholis catholicis ius habetur invigilandi etiam in institutionem. In Codice autem generalis tantum norma dari potest; concordatis ordinari possunt particularia pro diversis regionibus.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat ius vigilantiae spectare: a) institu-tionem religiosam in omnibus scholis; b) disciplinam et mores tantummodo in scholis quae ab Ecclesia pendent, scilicet quae sunt catholicae, iuxta supra dicta.

Exc.mus Consultor declarat ius Ordinarii visitandi scholas de quo in can. 1382 determinandum esse secundum genera scholarum, sed, de eius sententia dici non potest, ut in canone, « quaslibet scholas ».

11. SCHEMA DICENDORUM DE UNIVERSITATIBUS
ET FACULTATIBUS STUDIORUM ECCLESIASTICORUM

1) Earum *erectio aut approbatio a Sede Apostolica* requiritur.

Notat Exc.mus Consultor in conventu habito in Congregatione pro Institutione Catholica valde disputatum fuisse de voce « agnitas »; mentionem facit etiam de Germania in qua habentur facultates in ipsis Universitatibus civilibus erectae: S. Sedes intervenit in erectione. In U.S.A. erectae sunt Facultates, et postea Episcopi approbationem rogarunt a S. Sede.

Itaque textus can. 1376 § 1 uti est admitti non potest.

2) *Statuta earum Universitatum*: approbari debent: can. 1376 § 2.

3) *Gradus academici*: norma canonis 1377 servanda est.

4) *Privilegia doctorum*, de quibus in can. 1378, in canone statui non debent; relinquatur consuetudinibus. Ergo supprimi potest can. 1378, secundum consultores.

5) *Ratio studiorum*: determinari debet ab Episcoporum Conferentia, secundum normas ab Apostolica Sede traditas.

De sententia Exc.mi Consultoris, vita in communitate foveri debet.

Ad mentem Rev.mi Secretarii Ad. hoc in Codice dici non debet, et relinquere debet « ratione studiorum » et Directorio pastorali.

6) *Ubinam erigendae*. Debentne adesse in singulis nationibus?

Exc.mus Consultor notat coordinationem requiri, ne nimis sint multiplices illae Facultates (v.g. Romae).

Aestimat Rev.mus Secretarius Ad. munus partitionis spectare ad Conferentias Episcoporum et etiam ad S. Sedem.

Consentit Exc.mus Consultor.

Insuper censet Rev.mus Secretarius Ad. religiosos audiendos esse, sed difficultatem haberi, quia non sunt membra Conferentiarum Episcoporum.

Aestimat Exc.mus Consultor commissionem de scholis, a Conferentia erectam, etiam religiosos complecti debere.

7) *Libertas scientifica*. Aestimat Rev.mus Secretarius Ad. eius necessitatem affirmandam esse, intra limites fidei.

Notat autem Rev.mus Consultor forsitan melius esse ut haec libertas affirmetur de omnibus Universitatibus, et in specie etiam de Universitatibus studiorum ecclesiasticorum.

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut in fine totius tituli principium affirmetur.

8) *Norma can. 1380 Codicis. Servanda est.*

Censet Rev.mus Consultor eam non posse restringi.

Rev.mus Secretarius Ad. proponit ut dicatur: Ordinarii debent clericos mittere, quantum id exigit bonum dioecesis aut etiam regionis ecclesiasticae, immo vel ipsius Ecclesiae universalis (cfr. Decr. *Optatam totius*, n. 18).

Rev.mus Consultor censet dicendum esse quod Episcopi de illo curare debent.

9) *Munus Facultatum.* Censet Exc.mus Consultor de hoc munere normam esse statuendam.

Aestimat autem Rev.mus Secretarius Ad. hanc normam inde ab initio tituli de Universitatibus esse tradendam.

10) *Cura vitae spiritualis.* Aestimat Rev.mus Secretarius Ad. normam hanc tradi posse de Universitatibus in genere.

Censet vero Rev.mus Consultor talem normam pro clericis requiri et tradendam esse in hoc loco.

11) *Cooperatio cum aliis Facultatibus.* Duo dicenda sunt: a) requiritur cooperatio cum similibus Facultatibus in aliis locis quae sunt erectae; b) requiritur cooperatio cum aliis Facultatibus eiusdem Universitatis.

12. SCHEMA DICENDORUM DE UNIVERSITATIBUS STUDIORUM IN GENERE

1) *De actore erectionis.* Aestimat Rev.mus Consultor eas erigi posse sive a Sede Apostolica, sive ab Episcoporum Conferentia, vel potius declarat: Universitates catholico sensu imbutas possunt erigere etiam christifideles; ut autem tales Universitates nomen gerant « Universitatis catholicae », requiritur erectio sive a Sede Apostolica, sive ab Episcoporum Conferentia, consulta Sancta Sede.

Censet Exc.mus Consultor Universitatem catholicam erigi tantum posse a Sancta Sede, quia Universitas est universalis.

Aestimat tamen Rev.mus Secretarius Ad. etiam Conferentiam Episcoporum esse competentem, quia etiam Episcopi sollicitudinem habent omnium Ecclesiarum.

2) *De eisdem erigendis.* Declarat Rev.mus Consultor dici posse: current Episcoporum Conferentiae ut, ubi expediat et fieri possit, habeantur etiam Universitates in quibus disciplinae tradantur sensu catholico imbutae.

Notat Exc.mus Consultor illud in certis regionibus difficile esse, v.g. in Germania, et insuper saepe deesse media ad erectionem necessaria.

3) *Cathedra theologiae in illis erigenda.* Illud suadetur in Declaratione *Gravissimum educationis*, n. 10.

Rev.mus Consultor aestimat illam normam respicere Universitates de quibus in n. 2) praecedenti agitur.

Rev.mus Secretarius Ad. autem censet principium valere praesertim de iisdem, sed etiam de aliis, in quantum id fieri possit.

4) *Norma de coordinatione inter Universitates.* Ut iam admissum est, norma generalis tradenda est in fine tituli.

5) *Cura vitae spiritualis studentium.* De ea agitur in Declaratione *Gravissimum educationis*, n. 10. Norma requiritur de cura spirituali, quae est maximi momenti.

6) *De natura et fine Universitatum catholicarum.* Declarat Exc.mus Consultor de natura et fine harum Universitatum agendum esse, quia ius ad exsistentiam harum Universitatum hodie a non paucis negatur.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat affirmandum esse illas Universitates id intendere ut tradatur doctrina spiritu christiano imbuta.

Rev.mus Consultor affirmit potius dicendum esse spiritu catholico imbuta ».

Proponit autem Rev.mus Secretarius Ad. hanc aliam formulam « doctrina spiritu imbuta christiano, Magisterio Ecclesiae etiam determinato », vel etiam hanc formam: « spiritu doctrinae christiana imbuta, etiam ab Ecclesiae magisterio determinato ».

Placet forma huius generis omnibus.

7) *De cooperatione inter Universitates.* Norma generalis tradenda est in fine tituli, secundum supra dicta (cfr. Declaratio *Gravissimum educationis*, n. 12).

8) *Munus Universitatum catholicarum penetrandi in ambitu culturali.* Proponitur ut de hoc munere quid dicatur. Sed, declarat Rev.mus Secretarius Ad. de hoc munere iam supra quaestionem fuisse.

Instat Rev.mus quidem Consultor, arguens adultis praebendam esse possibilitatem ut in rebus religionis maiorem habeant institutionem; ad

hoc efficiendum, conferentiae etiam ordinari debent de religiosis quaestio-nibus, academiae religionis erigi possunt vel scholae superiores religionis.

Censet Rev.mus Secretarius Ad. id praesertim fieri posse in civita-tibus, in quibus adsunt Universitates non catholicae.

Declarat Rev.mus Consultor illas scholas superiores non tantum tra-dere debere theologiam, sed integrum culturam christianam.

Rev.mus alter Consultor affirmit illas scholas tamen dicendas esse scholas in quibus traditur theologica disciplina.

Rev.mus Secretarius Ad. aestimat dici posse: « disciplinae theologiae aliaeque quae culturam christianam spectant ».

9) *Momentum institutionis religiosae.* Rev.mus Consultor proponit ut in canone finali affirmetur quod laici institutionem religiosam magni facere debent in hoc nostro tempore.

Rev.mus Secretarius Ad. censet talem normam tradendam potius esse initio tituli: sensus apostolatus quo omnes imbuti esse debent eos impellere debet ut curam habeant de institutione religiosa; sed esset potius exhortatio, non vera norma.

Rev.mus Consultor qui supra declarat quaestionem esse de vero officio: clerici et laici omnes qui volunt ut vita christiana in hoc mundo foveatur, debent curam habere institutionis religiosae.

Duo Rev.mi Consultores aestimant normam generalem hoc officium affirmantem initio tituli statui posse.

Consentient alii omnes.

10) *Norma can. 1383* deleri potest, iuxta omnes.

11) *Aliae quaestiones.*

a) Rev.mus Consultor proponit ut etiam mentio fiat de necessitate attendendi ad instrumenta communicationis hodierna.

b) Exc.mus Consultor rogat utrum aliquid dici debeat de syndicali actione studentium.

Respondet Rev.mus Secretarius Ad. Codicem ab ordinanda hac quae-stione abstinere debere, quia periculosum est aliquam normam de hoc tradere.

c) Secundum Rev.mum Secretarium Ad. item periculosum est ali-iquid statuere de parte quam studentes habere debent in regime Uni-versitatis.

13. MATERIA IN PROXIMA SESSIONE TRACTANDA

Proponit Rev.mus Secretarius Ad. ut in proxima sessione huius coetus tractentur diversae quaestiones « de scholis », quae supra in schematibus dicendorum indicatae sunt; proponit etiam ut consultores iam sua praeparent vota de recognoscenda legislatione « de Seminariis ».

In fine, Rev.mus Secretarius Ad. omnibus membris coetus gratias dicit maximas de labore iam peracto.

N. PAVONI, *Actuarius*

